

NUMMVS ICONICVS
 RUDOLPHI SECUNDI IMPERATORIS
 Romani: profligato Cardinale Bathorio, & Tran-
 sylvaniâ recuperatâ: cufus Anno
 Christi 1599-



Cum Andreas Bathorius Cardinalis, Transylvaniæ principatum, inito cum Turcis fœdere, assumptoque in societatem belli Moldaviæ Palatino, invaderet, ad eum reprimendum Michael Valachia Vaidoda, qui totus tum à Cæsaris partibus stabat, triginta hominum millia conduxit, & in Transylvaniam progressus, Cronstadium vi occupavit: relicto eâ in urbe forti præsidio: quo Polonis iter procluderet, quos metuserat, ne Cardinali opem ferrent. Inde Zeccleris, spe gratiæ, & recipiendorum privilegiorum, in Cæsaris verba adaectis, Hermanopolim contendit. Ac licet varijs persuasionibus ab instituto eum avertere conaretur. Nuntius Apostolicus, unâ cum Gogari Membarfio, & Moyfi Zecklero, denegatis attamen auribus incæpto pergit Vaidoda, inque Cardinalem, non procul Cibinio, impetum facit. Initio prælio statim ad Vaidodam victoria inclinat: Bathorianis ad internecionem occisis.